


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-nonâ Martii, anni M. DCC. XXXVII.

M. FRANCISCO BAILLY,
Doctore Medico, Præside.

An sanitatis præsidium, Equitatio?

I.



RUBIGINE quietum ut obducitur metallum; sic languet otio corpus, & hebescit. Hinc dira ægritudinum ac malorum cohors, quam secum invehit desidia. Summa prosperæ valetudinis tuendæ ratio, in eligendis, regendisve corporis & animi motibus versatur. Omne punctum feret, qui beatus noverit *Gymnastices* legibus obtemperare. *Gymnastice*, Medicæ præsertim ditionis ars, recentioribus forsan usitata minùs, à veteribus impensè fuit exculta. Hujus ad fovendam,

reſtituendamve ſanitatem erat commendationis apud Græcos & Latinos, ut in publicæ adminiſtrationis partem veniret; ut *(a)* ſuos hæc haberet Magiſtros, ſua jactaret *Gymnaſia*, ſuis thermis ac paleſtris gloriaretur. Infinita propemodùm & incredibilis, quibus delectabantur, *exercitiorum* varietas? Quot enim artes erant machinati, quibus, & gladiatores pugileſve ad luctam, & milites duceſve ad bellum informarentur? Quot ludicras *exercitationes*, quarum uſu, vel incorrupta ſervaretur corporis habitudo, vel depravata recrearetur? At quoniam inter tot exercitationum ſpecies, quædam ſpontè, hoc eſt, propriis naturæ viribus peraguntur ut curſus, *ſaltatio*, cantus, ambulatio, natatio, *globi volutatio*, diſci jactus, parva longaque pila, *jaculatio*, *pila malleus*, piſcatus, aucupium, *venatio* ſaltem pedeſtris, &c. Quædam autem alterius moventis operâ indigeant, ut perficiantur; quales ſunt *equitatio*, *navigatio*, vectio, *geſtatio*, agitatio in cunis aut lectis penſilibus, quibus & adjungi poſſunt *frictiones*, *unctiones*, *aſperſiones* & ſimilia, quæ nonnunquàm ludos ejuſmodi vel antecedunt, vel ſubſequuntur. Quoniam adhùc ex ipſis, nonnullæ certas duntaxat corporis partes; plurimæ verò corpus univerſum exagitant: aliæ quidèm vehementiùs, remiſſiùs aliæ; ideò Medici ſapientis eſt, dùm convenit, definire, quid auxilii, quidve damni hoc vel illud exercitii genus, homini vel ſano, vel ægrotanti ſit allaturum. Præſtantiſſimum interim, ac tutiſſimum homini, *Gymnaſtices* ſubſidium affirmaveris, quo ſanitas ejus vel præſens confirmatur, vel abſens inſtauratur. Non aliundè repetenda hujus artis efficacitas.

(a) *Petrus Joann. Burette quæſt. Card. 5. Maii. 1707.*

I I.

VARIA, quot quot *Gymnaſtice* ſuppeditat homini, præſidia, in eâ planè conſiſtunt motûs ſpecie, quam *exercitationem* dicunt. *Exercitationis* nomine intelligenda venit rerum *non naturalium* una, per quam vel corpus univerſum, vel quædam duntaxat ipſius partes, voluntariè

quidem, at paulò vehementiùs, ad anhelitûs alterationem usque, moventur & agitantur. Laboris quoddam genus est quo sanitati ludicrè consulitur. Æquis nempè suscepta conditionibus *exercitatio*, quot mirabiles effectus præstat in corpore? *Liquidorum* enim itus, reditusque, cum à repetitis *vasorum* & *musculorum* ictibus pendeant; cum in labore, horum & illorum augeantur motus, tunc *vasa* quibus irrigantur *musculi*, *pressionibus* iteratis validiùs propellunt sanguinem in angustiora quidèm loca, si sint ex *arteriarum* numero; eundem verò revertentem, cum *venosa* sint, ad ampliora sollicitant. Hinc *musculorum thoracis*, & *abdominis* adauctâ *systole*, vehementiùs pressa quæ subjiciuntur tum *viscera*, tum *vasa*, muneribus suis defunguntur alacriùs. Hinc *artuum musculi*, *contractionibus* iteratis, *canales*, quibus instruuntur, calcaribus quasi adhibitis, invitant, commissos liquores urgent identidèm, & urgendo comminuunt; itaut omnium *circuitus* evadat facilior, succedatque molecularum quibus constant, absoluta magis & frequentior *attritio*, quam statim excipit *secretionum*, ac proinde *functionum* omnium integritas. At quantùm juvat æquabilis *exercitatio*, tantùm immoderata nocet. Violentiori enim corporis motu, *pectus* universum non leviter excandescit; stagnat *sanguis* intra *pulmonum* dædaleos anfractus; asperiores in abdomine patitur *musculorum depressiones*; *diaphragma* molestiùs complanatur: *vasorum abdominis* majores *trunci*, mole *viscerum* obruti, *sanguinem* pariter & difficiliùs admittunt, & reddunt ægriùs: *capillaria* totius corporis *vasa*, fervidiori & uberiori turgent *sanguine*. Crassescens inde *cruor* lentiùs multò progreditur, hæret in minoribus *vasis*; ac tandèm interceptis *secretionibus*, variæ in variis corporis partibus *obstructiones* sobolescunt, morborum prodromi vel infelicissimi. Tot igitur incommoda si, vel præcavere, vel expellere animus est: ad illud confugias artis *Gymnasticæ* præsidium, quod tutò valeat *sanguinis* & *circuitum*, & *attritum* æquabiliter promovere.

III.

AERE, cibo & potu, motu & quiete, ſomno & vigiliâ, *excretis* & *retentis*, nec non & animi pathematis, quibus vivit homo atque conſervatur, iiſdem & affligitur & occidit. Corpus enim humanum etſi nec per ſe conſtituunt, nec per ſe lædunt, res quas vulgò non *naturales* vocant; hominis tamen conſervationi, ac tutelæ plurimùm conducunt ſi prudentèr adminiſtrentur; alióquin, haud raró lethum ejus accelerant. Sano ut varium expedit vitæ genus; ſic nec una, nec eadem omnibus convenit vivendi ratio. Ad naturam, ſexum, ætatem, tempeſtatem, corporis habitum, victum, conſuetudinemque ſingulorum, varia debent præſertim accommodari *exercitiorum* genera. Oportet, inquit Hippocrates, (a) laborum vim, ut par eſt, non ſolùm internoſcere, ſed etiam indolem eorum, quibus hi, vel illi labores imponuntur. Hinc in cunis, lectulis, aut ulnis nutricum infantes agitari ſolent. Hinc pueri ac potiſſimùm adoleſcentes, quemlibet ad motum non minùs apti, quàm proclives. Hinc juvenes, robuſti, fortes, aſperioribus ac diuturnioribus indulgere nati ſunt operibus, quàm ſenes, molles, & macie confecti. Quin imò durioribus aſſueti laboribus, naturâ quamvis debiles, infirmi, vel ſenes, labores eoſdem ferunt faciliùs, quàm inſueti, robuſti tamen, juvenes, & ad conſtitutionem athleticam penitùs accedentes. Quanta igitur in Medico requiritur prudentia! quanta ſagacitas, ut cuique hominum genio, ac *temperamento*, ſpeciem, modum, tempus, locum & durationem *exercitationis* tutò queat adaptare? Ne tamen cunctando idoneorum in morbis temporum præterlabatur opportunitas; hanc in genere præſcribat *Medicus exercitationis* ſpeciem, utpote ſaluberrimam, in quâ cùm animos, tùm corporis partes, vel omnes, vel aliquot duntaxat, nunc ſimùl, nunc viciſſim, ad initia ſaltem leviſſimæ *laſſitudinis* contigerit exerceri. Hujus autèm generis ac virtutis *equitationem* eſſe quis negaverit? Si præſertim in aëre, tempore,

(a) *Lib. 1. de diæt.*

loco, duratione, graduque convenienti hæc ſuſcipiatur; ſi non ſubſultim, non ſuccuſſatim, at greſſu lento, inceſſu molli, & ex ordine compoſito procedat. *Equitatione* nimirùm ſic inſtitutâ, quænam alia vel ad tuendam, vel ad reficiendam ſanitatem accommodatior excogitari poterit *exercitatio?* quænam utilior? quæ jucundior? An blandiori alio, vel æquabiliori *Gymnaſtices* motu poterit *Sanguis* & *circuitum* faciliorem, & expeditiorem *tritum* adipiſci?

I V.

MOVEMUR vel ex nobis, vel ab aliis. Actionum, quæ ſoliûs naturæ operâ perfici nequeunt, ſaluberrima omnium & nobiliſſima, *equitatio*. Peculiaris eſt ambulationis, aut vecturæ ſpecies; dulci paritèr & utili ſic temperata, ut difficile ſit admodùm judicari, nùm plus emolumenti corpus, quàm animus oblectationis ex eâ percipiat. Ambulationis hujus organum, aut inſtrumentum, equus: à quo tamen non priùs vehitur ſeſſor, quàm & equus à ſeſſore motum jam acceperit *Mutuat hic oculos*, *(a) mutuat ille pedes.* Equus domi foriſque utiliſſimum animal, generoſum licèt ac ſuperbum, quot interim docilitatis, fidei, vel amoris in dominum præbet indicia, ſi liberalitèr inſtituatur! Formâ, pulchritudine, colore, ſexu, moribus, natalibus, officiis aliiſque adjunctis, inter ſe differunt equi: ſivè ad pompam, pugnam, *admiſſuram*, vecturam, aut prædam nutriantur. Diverſa equorum nomina, ut diſcrimina, hîc recenſere nec vacat, nec expedit; diſpares eorum greſſus tantummodò diſcernendi: quos potiſſimùm *(b)* ad *peditationem*, *trottationem*, *curſum*, & *ambulationem* revocant equiſones. *Peditationis* motus, lentus eſt, humilis, & mollis; *trottationis* autèm, concitatus, altus & durus. Hoc in utroque inceſſu, oppoſitorum laterum pes anterior & poſterior ſimilem ſervant tenorem; cum eo ſaltèm diſcrimine, quod in *trottatione* oppoſitorum laterum anteriorem ſimùl & poſteriorem pedem attollat equus; in *peditatione* verò non ſimùl, ſed viciſſim hunc, vel illum moveat, ab anteriori dextri

(a) *Alciat. Embl.* 160.

(b) Gallicè *le Pas. le Trot. le Galop. l'Amble.*

lateris ſemper inchoando. Currit equus, ubi *ſaltando* præceps agitur in anteriora, pedeſque ipſius anteriores ſimùl, ſimùl & poſteriores tellurem deſerunt, eam ſimùl omnes protinùs pulſaturi. *Curſu*, omnium equi motuum tametſi velociſſimo, non adeò concutitur, aut excruciatur ſeſſor, quàm *trottatione*. *Ambulatio* demùm, eſt levis, alterno crurum explicatu, facta greſſuum *glomeratio*, in quâ ejuſdem lateris anteriorem ſimùl, & poſteriorem pedem erigit ac ſublevat equus, dùm ambo lateris oppoſiti pedes humum ſimùl quatiunt ac ſubigunt. Non vulgaris hic incedendi typus, etſi volubilis, mollis tamen; eóque mollior & ſalubrior, quô propiùs terram, non altè ſublatis, at quaſi tractis pedibus peragitur. Hinc alternis crura explicantes equi, facillimam ſeſſori præbent vecturam, omnis moleſtiæ vel ſuccuſſûs expertem. Ab hoc quadruplici *progrediendi* modo, dicuntur equi, vel *gradarii*, vel *tortores* aut *ſuccuſſatores*; vel *curſores* aut *bellatores*, vel *tolutarii* aut *aſturcones*. Quiſquis igitùr ex Medici præſcripto, *equitationi* voluerit indùlgere, tolutarium, aut ſaltèm *gradarium* eligat equum, è *cantheriorum* numero, bonis moribus, ſuiſque ad ambulandum ornamentis omnibus inſtructum. Mox conſcenſurus equum; laxis tantillùm habenis, virgâ & jubâ firmiter, ut artis eſt, ſiniſtrâ manu ſimùl apprehenſis, pede lævo in lateris ejuſdem ſtapede collocato, famulis ex alterâ parte miniſtrantibus, dexrrâque manu ad poſteriorem Ephippii arcum admotâ, eoque ſubnixâ, libret corpus, ita ut ſuper Ephippium dextrâ tibiâ in latus idem trajectâ, natibus ſuper equo reſideat; cùm jam reſederit ſeſſor, pauliſper conquieſcat, habenas coæquet, eaſdem moliatur ſiniſtrâ, dùm virgam dextrâ feret: tunc feminibus molliter ſuſpenſis, erecto capite, oculiſque inter aures equi ad anteriora defixis, minutis à gradibus incipiendo, ad celeriores ſenſim provocet equum, donec, initia leviſſimæ *laſſitudinis* expertus, ad remiſſos paulatim devenerit. Quid plura? Tandiù pergat iter (totieſve renovet) quandiù, & amænâ locorum varietate

mens, oculique delectabuntur; & aëris liberè inſpirati ſerenitate recreabuntur pulmones; & blandâ *tolutarii* greſſuum *glomeratione* cuncta *viſcera* æquabiliter exercebuntur. Sic, ut reficiantur vires, non atterantur; attenuentur, non diſſolvantur *ſucci*; promoveantur, non depraventur *ſecretiones*.

V.

QUIS porrò debitas *equitationi* laudes elevet, huic niſi ſuſtinendæ impar? Sibi convenientius quærat exercitii genus: nil vetat. Cujuſcunque indolis, ſexûs, ætatis, & vitæ inſtituti hominibus *equitationem* non congruere, fatentur omnes: nec diffitemur. Quid inde? An idcircò, reliquas artis *Gymnaſticæ* motiones utilitate non vincet *equitatio*? Cæteris enim paribus, quænam alia felices eventus, æquis ſuſceptæ conditionibus, *exercitationi* referri ſolitos, poterit efficaciùs producere? Hujus eſt præſtantiæ, quæ, vel defeſſos labore delectet ac reficiat, vel ſtudio defatigatos non exhauriat. Eſt in eâ, unde corpori robur, vigor animo reſtituantur. Molli & blando *aſturconis* inceſſu, movetur quidèm univerſa corporis moles, at non commovetur; excitantur *viſcera*, non concutiuntur; expediuntur *artus*, non franguntur. Hujus ope, *ſolidas* inter & *fluidas* corporis partes nativum confirmatur *æquilibrium*. Suus *villis contractilibus*, quibus, *vaſa* & *muſculi* conſtant, conciliatur elater, ſua *liquoribus* fluxilitas aſſeritur. Hinc alimenta ſubiguntur feliciùs, *ſucci nutritii* mirum in modum diſtribuuntur, *recrementa* potentiùs diſponuntur ad *ſeceſſum*, *functioneſ*que corporis omnes perficiuntur alacriùs. Verùm in ſanitate tuendâ ſi tantum valeat *equitatio*, quid in eâdem inſtaurandâ non poterit, ægri præſertim viribus accommodata? Quot morborum contumacium optima plerumque *(a)* medela eſt? Hinc in veterum neotericorumve ſcriptis ac monumentis, nullum *exercitationis* genus ad morborum curationem, tam fauſtè, tam frequenter, tam proſperè adhibitum obſervatur, quàm *equitatio*. Sic *(b) Epilepſiâ*, *Cephalæâ (c) Surditate*, *(d) Ictero* & *(e) Hydrope* divexatos,

(a) *Petr. Burette quæſt. Quodlib.* 28. *Nov.* 1715.
(b) *Lib.* 1. *Cap.* 15.
(c) *Lib* 3. *Capit.* 6.
(d) *Lib.* 9. *Cap.* 3.
(e) *Lib.* 9. *Cap.* 3.

equitationis auxilio perſanabat Alexander Trallianus. Sic (a) *Diarrhœam*, Celſus; (b) *Podagram* Theodorus Priſcianus oppugnabat. Sic idem (c) Priſcianus & (d) Aetius *ſpleniticis* medebantur. Simili *Gymnaſtices* adminiculo, *ſingultum* curabat idem (e) Aetius. Sic *Aſthmaticis* ferebat opem (f) Cælius Aurelianus. Sic in *colicâ* bilioſâ, *diarrhœâ* colliquativâ, *tabe*, *phthiſi* confirmatâ, *hypochondriacis hyſtericiſque* affectibus, & aliis pertinacibus morbis, *equitationem* nunquàm non cum uberrimo fructu à ſe imperatam, paſſim teſtatur (g) Thomas Sydenhamius. Quin etiam (h) *podagrici*, dum equo vehi poſſunt, ſi non ſanantur, ſaltèm leviùs laborant. Morborum nempè contumacium ſedes & origo, cùm in viſcerum *abdominis* præſertim *obſtructione* poſitæ ſint. Cùm hâc *exercitationis* ſpecie impetus ferè omnis in *ventrem* fiat inferiorem; nil mirùm, ſi leni, repetitâ, & conſtanti equi *ambulatione* cuncta *viſcera*, ſervatis ſemper naturæ periodis, tremulo cieantur motu, quo & innatum brevi recuperent *tonum*, & ſtagnantes *ſuccos* obſtructionum cauſam, feliciter excutiant. *Equitatio* non fiat ſtatim à paſtu, non ubi fames urget, non in locis aſperis, non diutiùs in aprico; at ſub umbrâ potiùs, in aëre ſudo & ſalubri. Ab eâ tamen abhorreant *nephritici*, *calculo* laborantes, aliique huic ferendæ minùs idonei. Nullus igitur, vel *cauſarius* vel *ægrotans*, equo vehendum curandumve, ſe tradere vereatur, modico primùm itinere, donec majora in dies ſpatia gradatim, ſemèl iterùm atque iterùm emenſus, tandem non deſiſtat, quin ſanitatem, aut firmiorem corporis conſtitutionem obtinuerit. Naturæ lapſus, *intemperiei* vitia, & errores in victûs ratione commiſſos, hâc equeſtri *ambulatione* qui jam deleverit homo, An non criminis loco putaverit Medico poſt hâc indigere?

(a) *Lib.* 4. *Cap.* 19.
(b) *ad Timoth. Lib.* 2. *Part.* 2. *Cap.* 21.
(c) *ad Timoth. Lib.* 2. *Part.* 2. *Cap.* 15.
(d) *Tetrab.* 3. *Serm.* 2. *Cap.* 13.
(e) *Tetrab.* 3. *Serm.* 1. *Cap.* 5.
(f) *Chron. Lib.* 3. *Cap.* 1.
(g) *Sect.* 4. *Cap.* 7.
(h) *Id. Syden. in differt. de Podag.*

Ergo ſanitatis præſidium, Equitatio.

Proponebat Pariſiis, JOANNES-JACOBUS BELLETESTE, Pariſinus, Baccal. Medic. A.R.S.H. 1737. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1737.